


4/2000

IDIBVS OCTOBRIBVS MM



RVMOR VARIVS



TOMVS 23

FASC. 135

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann publicity** est, editur:

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr. 27.--
In ceteris Europae terris	sFr. 32.--
In terris trans marisa sitis	US\$ 30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET: www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA TVRICENSI, bei **aeschlimann publicity** herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 300

Abonnementspreise (jährlich):

Schweiz	sFr. 27.--
Europa	sFr. 32.--
Übersee	US\$ 30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:
ChristineMeier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET: www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Bankverbindung:

UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

'Iam Phoebus brevior via contrahit ortum lucis et obscuri crescent tempora somni...', ut adaptem paululum mutata dicta Senecae philosophi in 'Apocolocyntosi sive Ludo de morte Claudii Neronis' edita: Dies breviores, longiores noctes fiunt, vinitores uvas maturas carpere incipiunt, interdiu quidem sol nos tepefacit, sub vesperum autem et mane frigore autumnum advenisse sentimus. Sed non modo autumnus, sed etiam RUMORIS VARIII libellus quartus huius anni adest et vos, ut speramus, legentes variis symbolis delectabit!

Etiam prospiciendum est in proximum libellum. Imprimis rogamus, ne obliviscamini argumenti nostri, quod proposuimus, 'De amicitia'. Iam nonnullae symbolae iucundae nobis missae sunt, quarum auctoribus maximas gratias agimus. Plures autem nobis gratiae erunt, ut re vera varius copiosusque sit ille libellus et operibus vestris abundet. Scribatis ergo, quaesumus, a Musis basiemini – ut dicitur – et mittatis nobis symbolas vestras usque ad Kalendas Decembres!

Ad aenigma libelli 3/2000 solvendum, paululum amplius quam priora, plus temporis opus esse videtur. Adhuc unam solutionem tantum accepimus. Itaque, ut plus temporis vobis sit ad id aenigma solvedum, spatium extendimus et diem ultimam ad solutiones nobis mittendas in Kalendas Decembres prorogamus. Non sero est! Utimini optima occasione ad praemia accipienda! Speramus nonnullas solutiones nobis missum iri et in libello 5+6/2000 victores, si exstiterint, monstrabimus.

Valete!

Daniel Weissmann

Prorogatio!

Ad aenigma libelli 3/2000, quo praemium accipi potest, pertinet:
Nova dies ultima ad solutiones nobis mittendas est

KALENDIS DECEMBRIBUS!

De mundi theatro Einsidliae (Einsiedeln)

Relationis pars altera

Iterum Pater Kassian ETTER (P.K.E) quaestionibus a Stella GITTA propositis (R.V.) respondit.

R.V.: Reverende Pater Kassian Etter, plus de te scire cupimus. Ubi et quando natus es? Ubi habitas?


P.K.E.: Die 29. 4. 1929 in urbe Tugiensi (Zug) natus sum. Anno 1949 vitam monasticam in coenobio Einsidliensi coepi, ubi etiam nunc vivo.

R.V.: Quod officium geris?

P.K.E.: Per 40 annos in gymnasio nostri monasterii magister fui. Nunc, ubi necesse est, negotia minora praesto.

R.V.: Quae sunt qualitates necessariae?

P.K.V.: Studiis theologiae perabtis Turici physicae operam dedi, ad quam rem quodam ingenio mathematico opus est.



Pater Kassian ETTER personam Calderonis agens (Photo: Franz Kälin, Einsiedeln)

R.V.: Narra nobis, quaeso, de vita tua hodierna in monasterio! Estne regula vitae aspera?

P.K.E.: Vita monastica secundum regulam Sancti Benedicti dirigitur. Sunt horae orationis, operae, recreationis. Regula non admodum aspera est, luxus tamen vitari debet.

R.V.: Estne tibi autocinetum? Et televisorium?

P.K.E.: Autocinetum mihi non est neque tali curru vehi scio. Tribus locis monasterii televisoria ad usum communem praesto sunt.

R.V.: Occupationes extra monasterium habesne?



Pater Kassian ETTER personam Calderonis agens (Photo: Franz Kälin, Einsiedeln)

P.K.E.: Nonnumquam die dominica in paroeciis extra monasterium parochos in cultu divino vel supplemus vel iuvamus.

R.V.: Reine politicae interes?


P.E.K.: Rei politicae non intersum.

R.V.: Suntne tibi otia? Et qualia?

P.E.K.: Libros lego. Hieme nartis prolabor.

R.V.: Quae studia confecisti ut Pater fieres?

- P.E.K.: Post maturitatis experimentum studiis theologicis in monasterio Einsidliensi incubui.
- R.V.: Quae disciplinae in schola te maxime delectabant?
- P.E.K.: Historia, mathematica, litterae.
- R.V.: Num aliud officium exercere voluisses?
- P.E.K.: Aliam formam vivendi deligere potuissem; sed libera voluntate et mea sponte vitam monasticam elegi.
- R.V.: Amasne, quod agis?
- P.E.K.: Utique amo id, quod ago.
- R.V.: Quam artem praeponis?
- P.E.K.: Musica delector; instrumento musico tamen non cano.
- R.V.: Quibus aliis artibus studes?
- P.E.K.: Libenter libros bene compositos lego.
- R.V.: Ubi feriarum tempus consumis?



Theatrum Einsidliae


(Photo: Franz Kälin, Einsiedeln)

- P.E.K.: Feriarum tempus in monasterio consumitur. Quindecim dies extra monasterium degi licet. Illis diebus iter facio aut apud sororem in urbe Berna versor.
- R.V.: Quis est cibus tuus praepositus?
- P.E.K.: Poma terrae assa (Rösti).
- R.V.: Quae est prima sententia Latina, quae tibi in mentem venit?
- P.E.K.: Domine, labia mea aperies.
- R.V.: Apud Epictetum talia invenimus: "Memento", inquit, "hic te instar histrionis esse et tales agere in fabula partes, quales tibi dari magistro libuerit. Quas si dederit breves, breves agito; si longas, longas; quod si te mendicum imitari iusserit, quam verissime poteris hoc facito; ceteraque pariter. Nam partes datas bene agere tuum est, eligere alterius. Non debes", inquit, "cupere ea, quaecumque fiunt, ad tuum arbitrium fieri, sed sicuti fiunt, sic tu ea fieri velle debes. Itaque ante oculos et mortem et inopiam cottidie habeto et ea mala, quae molestissima videntur; inde nihil tu unquam aut demisse senties aut praeter modum concupisces." Quid de re putas?
- P.E.K.: Mea sententia iste textus valde aptus est. Si, ut exemplo utar, partes mendici agere debes, mendicus in te ipso quaerendus et cognoscendus est. Idem in omnibus partibus valet.
- R.V.: Quod vitae tempus tibi gratissimum fuit?
- P.E.K.: Tempus praesens. Fortasse non semper iucundum, sed semper maximi momenti est.
- R.V.: Quae est tibi optima memoria?
- P.E.K.: Itinera in montibus.
- R.V.: Ad quem finem in vita tua tendis?
- P.E.K.: Velim veritatem totam comperire.
- R.V.: Ultima quaestio, scio laborem tuum haud multum temporis tibi relinquere, quod est proverbium, quod vitae rationem optime illustrat?
- P.E.K.: Felix est, qui alios felices reddit.

R.V.: Nunc te multo melius novimus et aestimamus. Tibi omnia fausta felicia optamus! Vivat theatrum mundi!

Stella Gitta

Ad lectorem lectricemque: Si plus scire vis, vide interretialem paginam domesticam <http://www.welttheater.ch>



Theatrum mundi Einsidliae

(Photo: Franz Kälin, Einsiedeln)

ERRATA

in Rumoris Varii fasciulo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
2/2000	29, l. 1	paternam	pateram
3/2000	62, l. 12	proverbaliter	proverbialiter

De ecclesiae catholicae annis sanctis

Relationis pars quarta et ultima

Anno 1950°: Iubilaeum reditus magni et paenitentiae

Nondum vulnera belli mundani secundi sanata erant. Mundus divisus erat in partes duas, peregrinatores ex oriente oriundi Romam venire vetabantur. Attamen ingens copia peregrinorum Romam confluit, quod papam videre permulti volebant. In platea sancti Petri Pius papa XII. praesentibus et quingentis milibus Christifidelium et sescentis viginti duobus episcopis dogma infallibile sanctae Mariae totius, i.e. et corpore et anima, in caelum assumptae sollemniter praedicavit.

Anno 1975°: Iubilaeum reconciliationis et gaudii

Iubilaeumne bonum esset an non, post concilium Vaticanum secundum multi Christifideles interrogabant. Attamen Paulus papa VI. ordinem iubilaeorum interrumpere nolebat, sed annum sanctum hunc occasionem gaudii et reconciliationis esse promulgavit. Sed iam videri poterant rixae internae, quae ecclesiam catholicam adhuc concutere numquam desinebant.

Anno 1983°: Iubilaeum redemptionis annum sancum 2000° praeparat

Etiam Ioannes Paulus papa II. Iubilaeum extraordinarium in honorem anni redemptionis hominum millesimi nongentesimi quinquagesimi indixit. Hoc anno sancto, qui autem minus respiciebatur quam anni sancti "regulares", proximum Iubilaeum, id enim anni bismillesimi, praeparari sanctus pater voluit.

Anno 2000°: Quo vadis, ecclesia?

Per tres annos, per annos 1997um, 1998um, 1999umque Ioannes Paulus papa II. Christifideles catholicos in Iubilaeum magnum anni bismillesimi praeparare iussit: Annus 1997. Iesu Christo filio, annus 1998. Spiritui Sancto, annus 1999. patri caelesti dedicati erant. Nunc annus sanctus ipse adest. Catholici invocantur, ut vel Romam vel ad ecclesiam in ipsorum patria specialiter designatam peregrinentur et sacris sacramentis paenitentiae et communionis acceptis precibusque fuis indulgentias¹ sibi defunctisve acquirerent. Pro peregrinatione opera bona adimpleri licet velut pauperibus adesse, miseros consolari, aegrotos visitare, pecuniam indigentibus largiri, etc.

Sed multi – permulti immo! – catholici annum sanctum non celebrant neque indulgentias sibi propinquisve parant, quod fides vera catholica eis non iam est. Ecclesiam non adeunt nisi diebus festis specialibus, Deum pro nihilo ducunt, divitias, domum, televisorium, itinera, sexualitatem multasque res alias sibi deos creaverunt. Multi sacerdotes catholici leges ecclesiae non iam respiciunt atque non modo ipsi in errore vivunt, sed ceteros Christifideles in eundem errorem trahunt. Boni autem sacerdotes et fidi persaepe contemnuntur, quod non aetatis gustum vanum praedicant, sed Dei voluntatem aeternam et validam.

Speramus fore, ut ecclesia catholica ex hoc Iubilaeo vim et vitam novam hauriat!

Martin Meier

1) indulgentiae, -arum (pl.t.): Ablat

Sententiae Hispanicae

Ecce sententiae poetarum, scriptorum, philosophorum, artificum Hispanicorum in Latinum versae!

La libertad no hace felices a los hombres; los hace, sencillamente, hombres.

Manuel Azaña (1880-1940)

Libertas homines non felices reddit, sed eos, simpliciter, homines reddit.

*

La locura no siempre es enfermedad; el loco dice cosas que los demás no se atreven a expresar.

Enrique González Duro, psychiatrus (*1939)

Insania non semper morbus est; insanus res dicit, quas ceteri eloqui non audent.

*

Si es bueno vivir, todavía mejor es soñar, y lo mejor de todo despertar.

Antonio Machado (1875-1939)

Si bonum est vivere, semper melius est somniare, et omnium optimum est expergisci.

*

El amor es tan importante como la comida; pero no alimenta.

Gabriel García Márquez, Columbianus (*1928)

Amor aeque magni momenti est ac cibus; sed non alit.

Nunca me enfado por lo que la gente me pide, sino por lo que me niega.

Antonio Cánovas del Castillo, politicus et poeta (1827-1897)

Eis, quae cives a me postulant, numquam stomachor, sed eis, quae mihi negant.

*

El verdadero amor no se conoce por lo que exige, sino por lo que ofrece.

Jacinto Benavente (1866-1954)

Verus amor non eis, quae exigit, sed eis, quae offert, cognoscitur.

*

El arte de un príncipe consiste en hacer el bien personalmente y el mal por segunda mano.

Angel Ganivet (1865-1898)

Ars principis est bonum ipse facere et malum per aliorum manus.

La libertad cuesta muy cara y es necesario o resignarse a vivir sin ella o decidirse a comprarla por su precio.

José Martí, Cubanus (1853-1895)

Libertas plurimo constat, et necesse est aut contentum esse sine ea vivere aut decernere suo pretio eam emere.

*

El amor tiene fácil la entrada y difícil la salida.

Lope de Vega (1562-1635)

Amoris initium facile est, difficilis eius exitus.

*

Para ser feliz hay que estar enamorado.

*Andres Pajares, actor (*1940)*

Ut felix sit aliquis, oportet amore captum esse.

*

Los bolsillos de los gobernantes deben ser de cristal.

Enrique Tierno Galván (1917-1986)

Regentium marsupia vitrea esse oportet.

*

El amor nace de recuerdo, vive de la inteligencia y muere por olvido.

Ramón Llull (1223-1315)

Amor recordatione nascitur, intellegentia vivit, oblivione moritur.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. dea Romana
2. per aquam evadere
3. vehicula ad mare pervehendum apta
4. igni debebunt
5. patria virginis cuiusdam a Leandro amatae

Daniel Weissmann

IN USU MEDICO



Ad sententiam restituendam clystères sequere!
Legendae sunt tantum litterae inter duas vocales
et inter duas consonantes sitae.

Estelle GITTA

Memoria Draculae posteris traditur

In Palatio Ducum (Italice: Palazzo ducale) Mantuae sito, hoc vere, multae res documentaque, quae ad vitam viri nominis Vlad Tepes alias Dracula pertinent, exponebantur. Magna pars rerum e museo historico urbis nominis Bucarestii (Bukarest) Mantuam apportatae sunt. Draculae vita profecto poeticis fabulis decora est. Historiae fide autem comprobatum est Draculam vitam egisse in pristina provincia Romana nomine Dacia (hodie Dacomania: Rumänien) quinto decimo p. Chr. n. saeculo. Eques bellicosus erat filius hominis cuiusdam nomine Vlad Dracul. Iuvenis sane moribus saevis erat, haud raro autem pelliculis cinematographicis ad ridiculum convertitur. Erat inimicus acerrimus Sultani nomine Mohammed


II. Obses factus carceres squalidos adversarii cognovit. Postquam in patriam redire potuit, poenas iniuriae ab hostibus acceptae crudeliter expetebat. Magnum numerum eorum capitis damnavit. Damnatos suspendere solebat. Itaque ei cognomen 'Tepes', id est is, qui ad pilum alligat, datum est. Dracula ipse postea inhonesta morte occubuit. Sepulcrum eius nusquam repertum est.

In Palatio Ducum multae res ad vampiros pertinentes exhibebantur. Vampirus est mortuus, qui manu ac vi interfectus noctu saepe sepulcrum relinquit, ut vivorum sanguinem exsorbeat. Certum est phaenomenum hoc iam 3000 annis ante exstitisse et permultos sectatores habuisse. Ab adversariis Dracula homo crudelissimus omni impetu furoris agens putabatur. In patria sua autem apud multos semper magna auctoritate est. Homo fortissimus enim et salvator patriae creditur. Res, quae Draculam superstitionemque attingent, sub titulo 'Vlad Tepes vel Draculae historia heroica' exhibitae sunt.

Barbara Maier

SOLUTIONES

- In velo: 1. linter
2. canna
3. carabus
- In carina: Aegyptii
- In tabula: acaciae - sycomori
a) nativitas
b) enarravisti
c) nyctostrateguis
d) mendicavisti
e) concavitas
f) signaculis
g) imaginavisti
h) ornavisti



Stella Gitta

QUAESTIUNCULA ACADEMICA SOLUTA

Ad Christophorum de Beaumont etiam scripsi:
"Cum aliquo ingenio natus sum, sic enim iudicaverunt homines. Permulti tum me adversarii, quid dicerem parum intelligentes, lacessere coeperunt, quorum et levitas quidem mihi stomacho fuit et superbia forsitan me quoque fecerit superbum".



Quis sum ?

PRAENOMEN : IOHANNES-IACOBVS

QUAESTIO	20	3	8	11	22	16	7	1
SOLUTIO	I	O	H	A	N	N	E	S
QUAESTIO	9	15	2	18	5	23	12	
SOLUTIO	I	A	C	O	B	V	S	

NOMEN : ROUSSEAU

QUAESTIO	17	4	10	21	14	6	19	13
SOLUTIO	R	O	V	S	S	E	A	V

Stella GITTA

De nauta et melone

Nauta, cuius uxor gravida erat, post comeatum terra denuo officio in nave fungi debuit. Itaque mulierem eo absente partum edere oportebat. Valedicens nauta ei dixit: "Cum infans adest, meae deliciolae, mitte mihi, quaeso, telegramma. Sed nolo omnes socios navis ad multa pocula cervesiae vel vini mihi invitandos esse, quod pater factus sum. Itaque nihil nuntia nisi verbum 'melo'¹ – et ego sciam infantem sanum adesse et omnia bene evenisse." Tum uxorem amplexus basiavit et navem e portu profecturam conscendit.

Nonnullas hebdomades post re vera maritus uxoris telegramma accipit his verbis: "Tres melones. Duo sine petiolo², unus petiolo praeditus."

Daniel Weissmann

- 1) melo, melonis m: Melone
- 2) petiolus,-i m Stiel

Operarii rude donandi querelae lamentationesque

Donandus rude iam diu petita,
post tot lustra laboris obstinati,
contemnor parasitus ut protervus.
Tamquam sarcina respuor molesta,
quam tergo excutiant suo nepotes.
Mi culpae tribuunt quod in sepulcro
nondum haec ossa iacent febriculosa.
Nil tam multa valent tributa nostris
prave extracta miserrimis crumenis.
Res fingunt, veluti pigrae cicadae
formicas spoliemus haud inertes.
Qui vixisse videbar indigenter,
Persarum satrapes fuisse credor.
Audent hoc quoque dicere impudentes,
versari nimios senes in orbe.
Quidni ergo periamur ante tempus,
inventae ratione, qua dolores
vitentur pavidis acerbiores?
An vel has tenues stipes sinamus
decrecto fieri novo minores?
Recte, si locuples velit senator¹,
aut iudex opulentus, aut tribunus²
pulchrum exemplum animi dare abstinentis!

- 1) Synecdoches loco sumitur pro quovis homine, ut vulgo dicitur, politico.
- 2) Scil. militum, id est hodiernus armiger officialis.

Orestes Carbonero

Quomodo pusilla merces vel nimia interdum fieri possit

Mercedes queritur suas pusillas
ira continue tumens magister.
Cunctis invidet affatim lucrosis
semper muneribus magis probatis¹.
Nulli non male dicit ex amicis,
quos fortuna benigna iuivit, amplas
donans divitias bonamque famam;
damnat consilium² priore captum
aetatis spatio, gravi iuventae
incautae vitio; vagi tenetur
nunc desiderio status superni,
victus commodioris ac decori.
Aspernatur identidem misellos
quos fors caeca dedit pigros alumnos.
Collegis abeant malas in oras
pectore assidue precatur imo.
Respondet genitoribus molestis
rixans rusticitate turbulenta.
Dormitat placide sedens in aula,
volvitur acta diurna negligenter,
non aures pueris quidem rogandis
iam praebet, neque corrigit severus
in scripstitis pudibunda menda crebra.
Ergo, si numeres quot ad laborem
horas attribuat, putes profecto
solvi vel nimias stipes scelesto.

- 1) Advocatorum scilicet, et medicorum, et pharmacopolarum, et fabrorum, et dealbatorum, et.....ceterorum.
- 2) Agitur de consilio, quod adulescentulus olim ceperat, qua aetate ad litterarum se conferre studia statuerat, ut, scholasticus aliquando magister factus, docendi facultatem adipisceretur ac licentiam.

Orestes Carbonero

DE THILO CUSTODE FERRIVIAE

Studiolum novellisticum anno 1887 a Gerhart HAUPTMANN
Theodisce scriptum ("Bahnwärter Thiel") et anno 1997 a
Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversum

Narrationis pars quarta

IV

Subito autem ei aliquid denso aulaeo nigro simile diruptum est in duas partes, ut oculis obumbratis claritas afferretur. Repente sibi visus est expergiscere e somno bienni mortis simili et nunc incredulus caput concutiens omnia illa horrida considerare, quae ipse hoc statu videretur commisisse. Animum eius clare subiit historia calamitatum filii sui maioris natu, quam intellexit tam malam esse, ut rebus modo a se visis non etiam peior fieret, sed solum confirmaretur. Thilus correptus est misericordia et paenitentia; eum puduit, quod per hoc spatium temporis contumeliosum patienter vixerat neque adiuverat carum animantem auxilii inopem, immo, ne tantum quidem valuerat, ut sibi confiteretur, quantum ille dole-ret.

Cum ipse cruciaretur propter negligentiam suam, graviter fatigatus est, ut obdormiret dorso incurvo, fronte manui, manu mensae imposita. Paulisper sic cubuerat, cum voce praeclusa nomen "*Minnæ*" exclamavit. Aures Thili fremitu et stridore completæ sunt, tamquam aquis ingentibus; circa eum tenebrae factæ sunt; oculos raptim aperuit, experrectus est. Eius membra volitabant, omnes pori sudore angoris pervasi sunt, pulsus carptim fiebat, facies erat lacrimis madida. Nox tenebris erat obducta. Thilus voluit oculos in ianuam convertere, sed nescivit, quo idem sibi vertendi essent. Titubans surrexit, non desiit angere animo. Foris silva tamquam aestus maritimus fremebat, fenestris casulae obiciebantur grando et imber vento huc illuc acti. Thilus consilii expers circumiecta manibus explorabat. Momento temporis sibi visus est aquis submergi - tum subito caelum flagravat flamma caerulea, quasi guttae luminis supraterreni in atmosphaeram terrae obscuram delapsae statim restinguerentur.

Haec flamma momento tantum temporis flagrans suffecit, ut custos respisceret. Lanternam capturus feliciter comprehendit; quo momento tem-

poris in nocturno caelo Marchiae extremo excitata sunt tonitrua. Primum sono fusco et remisso murmurantia propius volvebantur brevibus undis aeneis aestuantibus, usque dum ad ingentes ictus aucta tandem erumpentur stridentia, strepentina, percutientia, totamque atmosphaeram superfundentia.

Quadrae fenestrarum vitreae striderunt, terra contremuit.

Thilus lumen accenderat. Cum resipuisset, primo horologium respexit. Vix spatium quinque minutarum fuit inter tempus praesens et adventum traminis citati. Quia putavit signale se praeteriisse, adversus tempestatem et tenebras se contulit ad cancellos, quos claudendos cum adhuc curaret, sonuit campana signalis.

Vento discissi sunt eius soni et dispersi in omnes directiones. Pinus incurvabantur ramis formidabili cum crepitu et quiritatione inter se contritis. Momento temporis apparuit luna instar patinae aureolae nubibus interposita. In eius lumine visa sunt pinuum cacumina nigra vento volutari. Betularum folia pendula circumagitabantur et circumvolitabant tamquam caudae equorum phantasmaticae. Sub iis sitae erant lineae orbitarum, quibus umore splendentibus inhauriebantur singulae maculae lucis lunae luridae.

Thilus pileum raptim de capite traxit. Imber ei iucundus lacrimis mixtus faciei offusus est. Fervebat eius cerebrum; insomnia obscura unum aliud expulsabant. Tobias ei videbatur vexari ab aliquo, tam atrociter, ut Thilo recordanti cor desineret palpitare. Aliud insomne Thili memoriae distinctius inhaesit. Viderat uxorem mortuam. Quae alicunde e longinquo venerat, in aliqua ex orbitis ferriviariis. Aspectu fuerat admodum imbecilla, vestium loco pannis induta. Quae praeterierat Thili casulam nec conversa erat ad eandem aspiciendam et denique -hic memoria eius incerta erat - illa aliqua de causa non progressa, immo compluries collapsa est.

Thilus, cum perrexisset deliberare, scivit illam aufugisse. Procul dubio. Nam alioquin cur oculos angore cordis completos retrorsum coniecisset et perrexisset se protrahere pedibus fere officio deficientibus? En oculos quam horribiliter in se coniectos!

At fuerat aliquid, quod illa secum tulerat, aliquid pannis involutum, aliquid flaccum, sanguineum, pallidum et modo, quo in idem spectaverat, Thilus commonefactus erat quarundam rerum praeteritarum.

Thilus cogitavit de muliere moriente, quae infantulum vix natum relinquendum continuo aspectaverat, dolore profundissimo, tormento in-

comprehensibili, illo vultu, quem Thilus haud minus oblitus erat quam patrem et matrem.

Quo illa pervenerat? Nescivit. Hoc autem animum eius clarum subiit: se ab illa repudiatum esse, se ab illa non respectum esse, illam se protraxisse longius longiusque per noctem procellosam et tenebrosam. Sè illam "*Minnam, Minnam*" appellasse; inde se esse experrectum.

Tenebrae pervasae sunt duobus luminibus rubris rotundisque tamquam oculis torpidis monstri ingentis. Quibus praeibat fulgor sanguineus, quo guttae pluviales propinquaе mutarentur in guttas sanguineas. Videbatur cadere imber sanguinis.

Thilus formidine correptus quo magis tramen appropinquabat, eo magisangebatur; insomnia et res vere factae ei in unum confundi videbantur. Adhuc videbat mulierem in orbitis migrantem, manum perae embolorum admovens, quasi vellet sistere tramen rapidum. Feliciter accidit, ut nimis serum esset, nam ante Thili oculos luminibus iam huc illuc volitantibus tramen praetercurrit.

Reliqua parte noctis Thilus officio sui functus est parum quietus. Urgebatur, ut domum iret. Desiderabat revidere Tobiam. Sibi videbatur per annos ab eo disiunctus esse. Denique de puero magis magisque sollicitatus compluries voluit officium relinquere.

Ad tempus terendum Thilus constituit, ut prima luce ferriviam recognosceret. Itaque, cum sinistrae manui baculum, dextrae longam clavem cochlearum imposuisset, mox in dorso regulae ferriviariae ingressus est diluculum pullo colore obductum.

Interdum clave cochlearum paviculam astrinxit aut appulsavit aliquem e rotundis contis ferreis, quibus orbitae inter se coniunctae erant.

Imbre et vento deminutis inter strata nubium discissa hic et illic in conspectum venerunt partes caeli, quod erat diluti coloris caerulei.

Thilus paulatim tranquillatus est clangore monotono solearum metallum durum attingentium, addito sono arborum guttas quatientium somniculoso.

Hora sexta matutina, cum alter custos in eins locum successisset, sine mora domum profectus est.

Fuit mane diei Dominici magnificum. Nubes dispersae interea post horizontis ambitum delapsae sunt. Sol oriens instar ingentis adamantis sanguinei fulgens per silvam fundebat vastas massas luminis.

Fasces radiorum lucidi lineis acribus proiecti sunt per turbam stipitum; hic inardescebat insula tenerorum filicum, quorum folia denticulis subtiliter textis erant similia, illic lichenes argenteo-grisei ardore solari permutabantur in corallia rubra.

Ros igneus defluebat de cacuminibus, stipitibus, graminibus. Diluvium luminis videbatur terrae offusum esse. Aer tam recens erat, ut ipse animus permoveretur necnon post frontem Thili imagines nocturnae paulatim pallescerent. Hoc autem momento temporis, quo conclave ingressus Tobiolum conspexit genis rubrioribus quam umquam antea in lecto aprico cubantem, illae imagines prorsus evanuerunt.

Verum quidem! Die procedente Lena sibi videbatur compluries in eo animadvertere aliquid alienum; ita in sella ecclesiastica, cum non librum introsperit, sed Lenam limis oculis aspectavit, et circa tempus meridianum, cum, nullo verbo dicto infantem, qui, ut fieri solebat, a Tobia portandus erat in viam, de eius brachio sumptum posuit in gremio Lenae. Praeterea autem in custode ne minimum quidem erat extraordinarium.

Thilus, quippe qui tempore diurno non potuisset dormire, quia septimana sequenti functurus erat officio diurno, nona iam hora vespertina cubitum iit. Eo maxime tempore, quo erat obdormiturus, uxor ei annuntiavit se mane sequenti una cum eo in silvam ituram esse, ut agrum pala perfoderet et poma terrestria insereret.

Thilus membris convulsis prorsus excitatus tamen oculos firme tenebat compressos.

Nullam esse moram, postea si agerent, poma terrestria non iam evadere utilia, Lena dixit et addidit oportere, ut liberos secum afferret, quia verisimile esset laborandum fore per totum diem. Custos fremuit nonnulla verba non intellegibilia, quae Lena sivit praeterfluere.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars quinta in proximo libello sequetur!)

Vocabularium breve verborum rariorum recentiorumve
in libello 1/2000 RUMORIS VARII publicatum est!

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist.)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abbonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren


RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
CH - 8353 Elgg

PP/Journal

4702 Oensingen

4/2000

IDIBVS OCTOBRIBVS MM



RVMOR VARIVS



TOMVS 23

FASC. 135